



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Art. I. Quid sit Fruitio?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)



CAUSA MOVENDI omnibus aliis. Et lib. 3. cap. 149. Motio movens præcedit motum mobilis RATIONE ET CAUSA. Motionem ergo præviam prioritate causalitatis & naturæ admittit D. Thomas, & non purè simultaneam & concomitantem. Unde si Cajetanus eam negaret, aperiret S. Doctori contradiceret, quod de illo existimandum non est, sed potius dicendum, ipsum excludere tantùm motionem præviam, quæ sit tota ratio agendi, & tollat cooperationem causæ secundæ, vel quæ sit prior non solum prioritate naturæ & instantis à quo, sed etiam prioritate durationis & instantis in quo.

Quantum verò ad Dominicum Soto, quem Adversarii primæ magnitudinis Thomistam appellant, adhuc evidentius est, ipsum stare pro nostra sententia, & physicam præmotionem docere. Nam libro citato de natura & gratia cap. 16. sic ait: *Dum liber è moveor, possum in sensu proprio non agere, & tunc cessabit concursus Dei, tamen in sensu composito contra se invicem pugnent, Deum agere erga me actione illa, & me non agere.* Quæ de nulla motione, nisi physica & per se efficaci, intelligi possunt: non enim repugnat quod motio, quæ dependet quoad suam efficaciam à consensu liberi arbitrii, & quantum est de se, sit solum indifferentis, sit in libero arbitrio, & quod eâ libertas non utatur. Nec dicas cum Petro à S. Joseph, istud explicandum esse de motione simultanea, quam repugnat esse, nisi etiam simul voluntas concurrat: scem loqui de concursu prævio expressè indicat Soto, dum ibidem addit: *Non est dubium quin concursus Dei comitetur, ut ajunt, actionem, & sit nihilominus cuiusque causa secunda requisitus ad agendum, imò verò & NATURA PRÆREQUISITUS.* Errucius, loquens de actibus nostris libetis, ait: *Non prius tempore à Deo quam à nobis, sed simul à Deo & à nobis fiunt, ab eo tamen prius NATURA.* Denique cap. 18. agens de concursu Dei ad actus malos & peccaminosos, hæc scribit: *Haud equidem differunt Theologi, entitatis (ita vocant) quæ est peccatum, Deum esse causam, eo efficientia genere quò cuncta animantia & inanimata ad suas naturales actiones permover.* Quæ verba non possunt intelligi nisi de præmotione physica, cum agentia naturalia & rationis expertia motionis moralis capacia non sint. Nemo igitur (nisi velit tenebras Soli offundere, & ut ajunt, in meridie cæcurire) potest revocare in dubium, Dominicum Soto docuisse concursum prævium, seu physicam præmotionem, in ipsis libris de natura & gratia, quos in Concilio Tridentino edidit, & Patribus in sexta & septima Synodo collectis dicavit. Qui libri fiere cum laude à Legatis Concilii approbati, imò & ipse Soto, ob insignem in propaganda fide, fugandisque Hereticis ardorem, illustraverunt stemmate à Tridentini Patribus donari, flammæ scilicet è duarum manuum conjunctione erumpentis, cum hac Epigraphæ: *FIDES QUÆ PER DILECTIONEM OPERATUR.*

Nec quæpiam movere debet, quod idem Author eodem libro 1. de natura & gratia cap. 15. docere videtur, liberi arbitrii consensum esse causam cur gratia sit efficax in uno, non verò in altero. Nam ipsemet in fine commentariorum super lib. 4. sententiarum, id exponit de causa solum materiali & dispositiva, & ait: *Quamvis*

causa prior efficiens quæ nos convertit, sit motio De præveniens, tamen dispositio materialis (quæ hoc modo dicitur causa) est assensio nostra. Sicuti causa efficiens præveniens cur fenestra aperiatur, est aer intrans, & causa materialis cur aer intrat, est quia fenestra aperitur.

DISPUTATIO VII.

De Fruitione.

Ad quæstionem 11. Divi Thomæ.

POST QUAM D. Thomas egit de motivo voluntatis, & modo quò movetur, profertur tractatum de actibus humanis, & differit prius de fruitione, quàm de intentione; qui ordo videtur præposterus, sed necessariò commutatus: cum enim finis possit considerari dupliciter, primò absolute & secundum se, secundò ut est terminus alicujus in ipsum relati; & tam simplex volitio, quàm fruitio, attingat illum sub prima ratione, intentio verò sub posteriori; prius videtur agendum de simplici volitione & fruitione, quæ de intentione, urpote habente objectum minus simplex, & minus absolutum. Pauca autem circa hunc actum occurrunt dicenda: unde sit

ARTICULUS UNICUS.

Quid sit Fruitio?

S. I.

Quibusdam præmissis, referuntur sententia, & vera eligitur.

PRO resolutione hujus difficultatis, nota ad fruendum quacumque re, hæc tria esse necessaria; amare, possidere, & gaudere, seu delectari: nam si quis amat, & nullo modo possidet, desiderare poterit, sed non frui: item qui amat & possidet, si non delectatur, non fruitur; qui enim v. g. sumit portionem amarum quam appetebat, non fruitur, quia ex ejus sumptione nullam percipit delectationem. Quæritur ergo, in quonam ex his tribus formaliter & essentialiter consistat fruitio, an in possessione objecti concupiti, vel in ejus amore, aut in gaudio seu delectatione quæ ex illius amore & possessione resultat?

Soto in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 4. loquens de fruitione Beatorum, dixit esse ipsam consecutionem objecti beatifici, quæ fit per claram Deivisionem, atque adeò esse actum ab intellectu elicitem; ad voluntatem autem pertinere solum per modum objecti. Favet Augustinus libro de moribus Eccl. cap. 3. ubi sic ait: *Quid est aliud frui, quàm præsto habere quod diligis?* Scotus verò in 1. dist. 1. qu. 3. docet fruitionem essentialiter in amore consistere, propter verba ejusdem Augustini 1. de doct. Christi. cap. 4. dicentis: *Frui est amor e inbarere alicui rei propter seipsam.* Cajetanus autem Capreolus, & alii Thomistæ existimant fruitionem formaliter in gaudio seu delectatione sitam esse, sequi tamen ex amore & presentia rei amata.

Z 2

Dico



Dico ergo, fruitionem propriè nec esse possessionem seu consecutionem objecti concupiti, neque ejus amorem, sed delectationem, ex amore & presentia rei amate causatam.

3. Probatur primò ex Augustino libro 83. quaestionum qu. 30 ubi dicit: *Fruï dicimur ea re, de qua capimus voluptatem.* Et 10. de Trinit. cap. 10. *Fruimur rebus cognitis, in quibus voluntas delectata conquesta.* Item S. Thomas supra qu. 4. art. 1. ait: *Fruïtio est quies amatis in fine amato: At hæc quies est delectatio, ut docet ibidem art. 1. Ergo fruïtio in delectatione consistit.* Unde quando Augustinus locis citatis videtur illam in possessione vel amore objecti constituere, loquitur in sensu tantum causali, non autem formali. Eodem modo interpretandus est D. Thomas dum ait hic art. 1. *Fruïtio pertinere videtur ad amorem vel delectationem: sub disjunctione enim locutus est, ut innueret fruitionem tam ad amorem quam ad delectationem pertinere; ad amorem quidem causaliter, ad delectationem verò formaliter; & hoc utroque modo acceptam ad voluntatem spectare, quod erat præcipuum ejus intentum.*

4. Probatur secundò ratione quam insinuat hic art. 1. *Fruïtio derivatur à fructu, quia sicut fructus est id quod ab arbore ultimò expectatur, & cum quadam dulcedine & delectatione percipitur; ita fruïtio est quid ultimum quod in re expectamus, & quod cum quadam suavitate percipimus: At hæc apprimè delectationi conveniunt, & potiori jure quam cuiquamque alteri actui; nam delectatio est ultimum quod in re expectamus, prius siquidem est quod rem amemus ac desideremus, postea quod illam consequamur, & tandem in ejus possessione quiescamus ac delectemur: ipsa enim quies seu delectatio, semper habet dulcedinem & suavitatem adjunctam, non verò amor & possessio: Ergo fruïtio consistit formaliter in delectatione, non verò in amore, vel consecutione.*

5. Confirmatur: Fruïtio est actus voluntatis, ut docet D. Thomas supra in introductione quaestionis 8. ubi ponit tres actus à voluntate elicitos, qui versantur circa finem, scilicet velle, frui, & intendere. Et hic art. 1. sic concludit: *Vnde manifestum est quod fruïtio est actus appetitive potentia: Atqui possidere non pertinet ad voluntatem, sed ad eam potentiam quæ tenet bonum amatum, sive illa intellectus sit, sive sensus; unde in tractatu de beatitudine ostendimus claram Dei visionem esse ejus consecutionem: Ergo fruïtio in possessione seu consecutione objecti formaliter non consistit. Idem dicens de amore: tum quia frui est capere fructum à re, amor verò solum dicit pondus in rem amatam: tum etiam quia amor per se abstrahit à consecutione, & ejusdem rationis est, sive delectatio adsit, sive non adsit. Unde egregie Caietanus hic art. 1.*

Disp.  
3.  
art.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

2. §. 4.

*Cum dicimus: fruor cantu, ad non significat, amo cantum, sed delectationem percipio de cantu. Neque cum dicitur: veni fruamur cupis amplexibus, Proverb. cap. 1. invitamur ad amandum, sed ad delectationem percipiendam. Et Paulus cum Philemoni dicit: Ego te fruor in Domino: non, ego te amabo, sed, ego de te delectabor in Domino, sonat. Ergo frui formaliter & propriè non est amare, sed delectari.*

6. Objicies cum Secoto: Fruïtio est actus à voluntate elicitus: Sed delectatio, sive gaudium, non est actio, sed passio: Ergo fruïtio non est delectatio. Probatur Minor primò: quia D. Tho-

mas infra qu. 31. art. 1. ad 1. dicit quòd hæc propositio, *delectatio est operatio*, non est per essentiam, sed per causam. Secundò, quia tristitia, contraria delectationi, non est actio, sed passio: contrariorum autem eadem est ratio. Tertio probatur eadem minor: quia sicut tritari non est in nostra potestate, sic nec delectari: Sed essent in nostra potestate, si essent actiones: Ergo tristitia & delectatio non sunt actiones, sed passionis.

Respondeo concessâ Majori, negando Minorem: delectatio enim est quidam actus vitalis, sicut intelligere, sentire, & velle, ut docet S. Thomas infra qu. 31. art. 2. ad 1. & Aristoteles 3. de anima textu 29. ubi ait: *Delectari esse operari ad bonum.* Ad primam probationem in contrarium respondeo cum Ferrariensi 3. contra gent. cap. 90. Divum Thomam loco citato solum velle, quòd delectatio non sit operatio affectiva objecti delectabilis, vel quòd non sit operatio præcipuè intenta & instituta ad perfectionem naturæ, sed quæ aliam præcipuè intentam committatur, ex illaque resultat, & pullulat, sicut effectus ex sua causa.

Ad secundam dicendum, tristitiam esse operationem delectationi oppositam: unde tam tritari quam delectari sunt in nostra potestate, quando sunt actus ex deliberatione procedentes; sæpius tamen sunt motus primò primi appetitûs sensitivi, quia bonum aut malum præsens urget appetitum, & prævenit deliberationem rationis, & libertatem voluntatis. Per quod patet ad tertiam probationem.

## §. II.

### Corollaria ex dictis.

EX dictis inferes primò, perfectam fruïtionem esse solum de ultimo fine: nam ultimum simpliciter ab homine expectatum, est finis ultimus, qui totaliter satiat & quietat appetitum: quia tamen finis intermedius est delectabilis ex se, & terminat motum voluntatis, sub hac ratione aliquam terminat fruitionem & quietem voluntatis. Ita D. Thomas art. 3.

Inferes secundò cum eodem S. Doctore art. 4. quòd quia finis ultimus potest duobus modis possideri, scilicet perfecte in re ipsa, & imperfectè in spe, duplex potest dari illius fruïtio: una perfecta, quæ habetur in patria de Deo clarè visò; alia imperfecta, quæ habetur hic in via de Deo per spem & amorem imperfectè possessio, de qua dixit Apostolus ad Roman. 12. *Spergredientes.*

Quates, an istæ fruïtiones specie inter se differant?

Respondeo probabilius esse illas esse ejusdem speciei, & differre solum accidentaliter: Tum quia Divus Thomas hic art. 4. non aliam distinctionem ponit inter has fruïtiones, quam quæ est inter perfectum & imperfectum; quæ autem hoc modo distinguntur, sunt ejusdem speciei, ut patet in puero & viro: Tum etiam quia istæ fruïtiones versantur circa idem bonum, & solum differunt penes diversum modum illud habendi & possidendi, in re scilicet & in spe: Hoc autem non pertinet ad principium specificativum & essentiale gaudii seu fruïtionis, sed ad conditionem requisitam, seu modum se tenentem ex parte agentis vel appetentis, ut colligitur ex eodem S. Doctore ibidem.



dem in resp. ad 2. Unde sicut charitas viæ & patriæ sunt ejusdem speciei, licet objectum charitatis viæ sit obscure cognitum & absens, charitatis vero patriæ clarè visum, & præsens; ita fructio viæ, & patriæ, quemadmodum enim objectum charitatis accidit esse obscure vel clarè cognitum, absens vel præsens: ita & objecto fructiois esse habitum in re, vel solum in spe, & esse cognitum clarè vel obscure.

Dices, Fructio viæ & patriæ eliciuntur à virtutibus specie diversis, nempe à spe, & à charitate: Ergo specie inter se differunt.

Sed nego consequentiam: quia non sunt actus primarii, sed secundarii illarum virtutum, ac proinde non opus est, ut eandem quam spes de charitashabeant distinctionem.

Querunt etiam hinc aliqui, quodnam sit objectum immediatum fructiois, seu delectationis beatorum in patria, an Deus clarè visus, vel ipsa visio beatifica? Sed de hoc fusè egimus in tractatu de beatitudine.

## DISPUTATIO VIII.

### De Intentione.

#### Ad questionem 12. D. Thomæ.

**P**OSTquam actum est de fructione, superest agendum de intentione, quæ est alius actus voluntatis circa finem; prior quidem fructione, ordine generationis, sed posterior, ordine dignitatis.

#### ARTICULUS UNICUS.

*Cujus potentia actus sit intentio, & quodnam illius objectum?*

**D**ico primò, Intentionem esse formaliter actum voluntatis, licet præsupponat actum intellectus.

Probatur prima pars ratione D. Thomæ hinc art. 1. ex nominis ethimologia desumpta. Intentione enim, ut nomen sonat, est *in finem tendere*: sed proprium est voluntati tendere in finem: Tum quia voluntas fertur in res secundum quod sunt in seipsis à parte rei, & ita proprie quali extra seipsam ad illas tendit; intellectus vero fertur in res prout sunt in ipso, ratione specierum intelligibilem; unde potius eas ad se trahit quam tendat ad illas: Tum etiam, quia tendere in finem, primò & principaliter est illius potentia, quæ seipsam & omnes alias movet in finem, quod convenit voluntati, ut supra dictum est: Ergo intentio, formaliter loquendo, est actus voluntatis.

Quod autem præsupponat actum intellectus, patet: quia voluntas cum nunquam operetur nisi præsupposita cognitione intellectus, juxta illud, *nihil volitum, quin præcognitum*, non tendit in finem per media obtinendum, nisi intellectus proponat finem in ordine ad media, eorumque proportionem cum fine: Ergo intentio necessariò supponit actum intellectus, quo cognoscatur proportio mediorum cum fine, seu fi-

nis in ordine ad media. Et ratione hujus actus præsuppositi, nomine oculi vel luminis in Scriptura designatur, ut notat D. Thomæ hinc art. 1. ad 1. dicens, *Intentio nominatur oculus metaphorice non quia ad cognitionem perinet, sed quia cognitionem præsupponit, per quam proponitur voluntati finis ad quem movet; sicut oculo prævidemus quo tendere corporaliter debemus*. Eodem modo explicandus est D. Bernardus, dum in sermone de triplici judicio ait: *Cognitio in memoria est, affectio in voluntate, intentio in ratione consistit*: loquitur enim de intentione, quantum ad id quod præsupponit, non verò quantum ad id in quo formaliter consistit.

Dico secundò, objectum formale intentionis esse finem, tam ultimum, quam non ultimum, ut per media obtinendum.

Prima pars est D. Thomæ hinc art. 3. ubi ait: *Intentio non solum est finis ultimi, sed etiam finis medii*. Idque patet, tum ex communi Philosophorum moralium ac Theologorum sententia, qui ponunt in voluntate actum intentionis circa particulares fines, ut circa sanitatem acquirendam peregrinationem faciendam, aut quid simile: Tum etiam ex differentia quæ reperitur inter intentionem & fructioem. Nam ut notat S. Doctor hinc art. 2. ad 3. intentio se habet ad finem per modum cujusdam motus & tendentia: motus autem & tendentia nedum versantur circa finem seu terminum ultimum, sed etiam circa proximum & intermedium, ut patet in motu naturali, cum enim ignis v. g. tendit in suam spheram, per mediam regionem aeris, sphaera ignis est ultimus terminus motus, & media regio est terminus non ultimus, seu intermedius: Ergo intentio est de utroque fine seu termino, ultimo & intermedio. Ceterum cum fructio versetur circa finem, per modum quietis, quies autem non fit, nisi quando cessat motus, & motus non cesset, nisi acquisito ultimo termino; id eò vera & perfecta fructio non est nisi de ultimo fine, qui est ultimum simpliciter ab homine expectatum.

Secunda verò pars, quæ asserit objectum formale intentionis esse finem, ut per media obtinendum, patet ex discrimine quod inter intentionem & simplicem volitionem invenitur: simplex enim volitio respicit finem, ut absolute in se bonum; intentio verò ut est ratio volendi media, & quatenus est assequibilis per illa, unde est virtualis volitio mediorum.

Ex quo habes, tres actus voluntatis jam explicatos, nempe simplicem volitionem, intentionem, & fructioem, distingui specie: quia licet omnes respiciant finem tanquam rationem materialem, ad ipsum tamen sub diversa ratione formali jam explicata terminantur; unde se habent ut in lapide appetere centrum, tendere actualiter ad centrum, & quiescere in centro, quæ, ut constat, sunt essentialiter distincta.

Quæres, utrum voluntas possit eodem actu ferri in finem & in media?

Respondeo cum D. Thomæ hinc art. 4. voluntatem duobus modis posse ferri in finem & in media: primò ita ut quodlibet eorum attingat ut quod, primariò, & per se; & sic non possunt unico actu attingi, sed necessariò terminant duos actus specie diversos, nempe intentionem, quæ primò & per se fertur in finem, & electionem quæ ad media primò & per se terminatur. Secundò voluntas potest attingere unum prima-